



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXI. Alexandri Papae III. Ad Thomam Archiepiscopvm
Cantvariensem. Suspensionem suae commissionis apostolicae reuocat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

interim metu mortis laborauerit, præstito secundum ecclesie consuetudinem iuramento, quod nostro, si conuauerit, debeat parere mandato, ipsum ab aliquo episcopo, vel religioso, & discreto viro, absolui concedimus.

EPISTOLA XXXI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

Suspensionem suæ commissionis apostolicæ reuocat.

Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & dilectionem apostolicam.

AD discretionis tuæ notitiam credimus peruenisse, qualiter illustri rex Anglorum Henricus nobis nuntios suos direxit, & quam dura & aspera, & quæ nostrum animum plurimum affligebant, per eos a nobis petierit, terribiles minas prætendens, nisi voluntati eius condescenderemus. Nos vero, quia nondum persecutio ecclesie cessauit, nec temporis serenitas adhuc nobis, sicut expediret, arrisit, impetum & motum animi sui, etsi non exaudiuimus petitiones suas, mitigare curauimus, & temperare, illo timore perculsi, ne ad impediendam & disturbandam pacem ecclesie se (prout olim fecit) tyranno & flagitioso inimico ecclesie, Friderico videlicet imperatori, aliquo fœdere societatis adiungeret, vel materiam haberet ab ecclesia & nostra deuotione recedendi. Inde est, quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, fraternitati tuæ, sub certa quasi spe & fiducia, quod te in gratiam suam recipiat, & Cantuariensem ecclesiam in tua libera dispositione dimittat, per apostolica scripta mandauimus, vt nec in ipsum, nec in personas regni, aut in regnum, interdicti, seu excommunicationis, vel suspensionis sententiam debeas promulgare, nisi alias nostras literas reciperes, in quibus, si idem rex nollet tibi gratiam suam reddere, facultatem habeas in eum & suos officium tuum exercendi. Quapropter, quia tibi tamquam fratri carissimo, & ecclesie tuæ proprium

honorem & libertatem cupimus omnibus modis conseruare, nisi (quod speramus, & ei proposuimus) vsque ad initium proximæ quadragesimæ effectui mancipauerit, sed in sua fuerit obstinatione induratus, tibi extunc auctoritatem tuam restituimus, vt tam in personas, quam etiam in regnum, & in ipsum regem, si tibi & ecclesiæ tuæ congruere & expedire cognoueris, facultatem liberam habeas debitum officii tui, cessante omni appellationis obstaculo, exercendi, grauitate ac maturitate pontificali adhibita, quam conuenit adhiberi.

EPISTOLA XXXII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD SOLDANVM ICONII.

Ipsum baptizari cupientem in fide instruit.

Alexander seruus seruorum Dei Soldano Iconii veritatem agnoscere, & agnitam custodire.

Ex literis tuis, & nuntiorum tuorum fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas ad Christum conuerti: cumq; iam receperis, vt audiuimus Pentateuchum Moyfi, prophetiam Isaïæ, & Ieremiæ, Pauli etiam epistolas, atque Ioannis euangelium & Matthæi, postulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege Christi quasi vice nostra plenius *instruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato *concurrentes assensu, tales excellentiæ tuæ procurabimus destinare, qui apud te in doctrina sana, & salutaribus monitis, *vices apostolicæ auctoritatis suppleant: quorum etiam mores & merita ab honestate & munditia eruditionis euangelicæ non discordent. Quoniam vero nostræ fidei *seruam & tenorem literis tibi supplicas aperiri, nos tuis congratulantes desideris, illam sub quodam compendio, & quasi digito tenus, intimamus. Illud igitur pie credas, & fideliter teneas, quod vnus est Deus, sic tamen vt in assignatione deitatis sit vnitas in substantia & trinitas in personis. Est enim Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnum sunt. Est autem ea discretio in personis, vt nec Pater sit Filius, nec

* al. in-
formis.

* al. oc-
curren-
tes

* al. vicē

* al. seruē
quamdā

Tres perso-
næ in diui-
nis & vna
essentia.